

BX

5139

.A3

1841





Class _____

Book _____









CATECHISMUS,
CUM
ORDINE CONFIRMATIONIS.

HIS SUBJICIUNTUR

PRECES QUOTIDIANÆ;

ET QUÆDAM

EX BUCHANANI ET ALIORUM PSALMIS.

E. H. S.

IN USUM

Scholæ Mercatorum Scissorum.



Londini :

IMPENSIS MERCATORUM SCISSORUM SOCIETATIS,

Excudebat S. M^cDOWALL, in Vico, dicto Leaden Hall.

MDCCCXLI.

C

BX 5139

A3
1841

Entered at Stationers' Hall.

1

4618

6323

CATECHISMUS,

HOC EST,

INSTITUTIO QUAM UNUSQUISQUE ADDISCERE TENETUR
PRIUSQUAM ADDUCATUR AD EPISCOPUM UT
AB ILLO CONFIRMETUR.



QUÆSTIO.

QUID tibi est nomen ?

5

RESPONSIO.

N. aut *M.*

QUÆSTIO.

Quis tibi hoc nomen imposuit ?

RESPONSIO.

Susceptores mei et susceptrices in Baptismo ; in quo factus sum membrum Christi, filius Dei, et hæres regni cælorum.

QUÆSTIO.

Quid susceptores tui et susceptrices tum tuo nomine præstiterunt ?

RESPONSIO.

Tria meo nomine promiserunt as voverunt: *Primum*, me abrenunciaturum Satanæ, et omnibus ejus operibus,

pompis et vanitatibus hujus mundi nequam, et omnibus pravis concupiscentiis carnis. *Secundum*, me omnes fidei Christianæ articulos crediturum. *Tertium*, me sanctam Dei voluntatem et illius mandata servaturum, et in iis ambulaturum omnibus diebus vitæ meæ.

QUÆSTIO.

An non putas te teneri ea credere, et facere quæ tuo nomine promiserunt ?

RESPONSIO.

Immò sanè, Deoque juvante faciam. Et ex animo Patri nostro cælesti gratias ago, quòd me ad hanc salutis viam vocaverit, per Jesum Christum Servatorem nostrum. Deum etiam rogo, ut me ita suâ gratiâ confirmet, ut in eâ permaneam usque ad finem vitæ meæ.

CATECHISTES.

Recita Fidei tuæ Articulos.

RESPONSIO.

CREDO in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli et terræ: et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu Sancto, Natus ex Mariâ Virgine; Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus; Descendit ad inferos; tertio die resurrexit à mortuis; Ascendit ad cælos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis: Inde venturus est judicare vivos et mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, Remissionem peccatorum, carnis Resurrectionem, ac vitam æternam.
Amen.

QUÆSTIO.

Quid potissimum doceris in his fidei tuæ articulis?

RESPONSIO.

Primò, doceor credere in Deum Patrem, qui me et mundum universum condidit.

Secundò, in Deum Filium, qui me et totum genus humanum redemit.

Tertiò, in Deum Spiritum Sanctum, qui me et omnes electos Dei sanctificat.

QUÆSTIO.

Dicebas susceptores tuos et susceptrices tuo nomine promississe te mandata Dei servaturum: Dic mihi quot sunt illa?

RESPONSIO.

Decem.

QUÆSTIO.

Quæ sunt illa?

RESPONSIO.

EA ipsa, quæ Deus tradidit capite vigesimo Exodi, dicens—Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti, de domo servitutis.

1. Non habebis Deos alienos coram me.

2. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, et quæ in terrâ deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terrâ. Non adorabis ea, neque coles: Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia iis qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea.

3. Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit Nomen suum in vanum.

4. Memento ut diem Sabbati sanctifices; Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua; septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est; non facies opus in eo, tu et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cælum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt; et requievit die septimo: idcirco benedixit Dominus diei septimo, et sanctificavit eum.

5. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus dabit tibi.

6. Non occides.

7. Non mœchaberis.

8. Non furtum facies.

9. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

10. Non concupisces uxorem proximi tui, nec desiderabis domum ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

QUÆSTIO.

Quid potissimum ex his mandatis discis?

RESPONSIO.

Duo; nempe officium meum erga Deum, deinde etiam meum officium erga proximum.

QUÆSTIO.

Quodnam est officium tuum erga Deum?

RESPONSIO.

Officium meum erga Deum est, ut in ipsum credam, ipsum timeam, et diligam ex toto corde, ex totâ mente, ex totâ animâ, et ex totis viribus; ut ipsum colam, ipsi gratias agam, in ipso solo confidam, ipsum invocem; ipsius sanctum nomen ejusque verbum honorem; et ipsi verè serviam omnibus diebus vitæ meæ.

QUÆSTIO.

Quodnam est officium tuum erga proximum?

RESPONSIO.

Officium meum erga proximum est, ut eum diligam sicut meipsum, et id omnibus hominibus faciam, quod ab iis velim mihi fieri. Et ut patrem meum et matrem meam diligam, et honorem, iisque succurram. Ut

Reginam honorem, ipsique atque iis omnibus, qui sub ipsâ aliquâ pollent auctoritate, obsequar; omnibus meis superioribus, doctoribus, spiritualibus pastoribus, ac præceptoribus meipsum subjiciam; submissè ac reverenter me geram ergo omnes, qui re ullâ me antecellunt. Neminem verbo factove lædam. Fidelem ac justum me in omnibus præstem: neque malitiam neque odium in animo meo foveam. Manus meas à furto et latrocinio cohibeam; et linguam à maledicentiâ, mendacio, ac calumniâ. Ut corpus meum temperanter, sobriè, atque castè custodiam. Bona aliena neque concupiscam, neque aveam, sed discam artem ad vitam sustentandam idoneam, et in eâ gnaviter laborem. Et meo officio fungar in eo vitæ statu, ad quem Deo visum fuerit me vocare.

CATECHISTES.

Mi puer, scias hoc, te ex teipso ista præstare non posse, neque in Dei mandatis ambulare et ipsi servire, absque gratiâ illius speciali, quam omni tempore diligenter invocare discas oportet. Audiam itaque num orationem Dominicam possis recitare.

RESPONSIO.

PATER noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, sic etiam in terrâ. Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè. Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris. Et

ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo : quia tuum est regnum, et potentia, et gloria, in sæcula sæculorum. *Amen.*

QUÆSTIO.

Quid petis à Deo hac oratione ?

RESPONSIO.

Peto à Domino Deo meo, Patre nostro cælesti, omnis boni largitore, ut gratiam suam mihi et omnibus largiatur, ut ipsum colamus, ipsi serviamus et obsequamur, prout tenemur. Deum etiam oro, ut nobis ea omnia impertiatur, quæ sunt menti et corpori necessaria; utque sit nobis propitius, et peccata nostra nobis dimittat; ut nos etiam versantes in quolibet periculo, tam animæ quam corpori imminente, custodire ac tueri dignetur; et nos servare ab omni peccato, ac malitiâ, ab hoste animarum, et ab æternâ morte. Et hoc confido ipsum pro clementiâ ac benignitate suâ præstiturum, per Dominum nostrum, Jesum Christum. Ideoque dico, *Amen.* Sic fiat.

QUÆSTIO.

QUOT Sacramenta instituit Christus in Ecclesiâ suâ ?

RESPONSIO.

Duo tantum, quæ quidem in genere necessaria sint ad salutem consequendam, nempe Baptismum, et Cœnam Domini.

QUÆSTIO.

Quid intelligis per vocem istam, *Sacramentum* ?

RESPONSIO.

Externum et visibile signum intelligo internæ ac spiritualis gratiæ, quæ nobis datur, ab ipso Christo institutum, tanquam medium quo eam recipimus, et arrhabonem ad nos de eâ certos faciendos.

QUÆSTIO.

Quot sunt partes in Sacramento ?

RESPONSIO.

Duæ, externum visibile signum, et interna spiritualis gratia.

QUÆSTIO.

Quodnam est externum visibile signum, aut forma in Baptismo ?

RESPONSIO.

Aqua, quâ quis baptizatur, *In Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.*

QUÆSTIO.

Quænam est spiritualis et interna gratia ?

RESPONSIO.

Mori peccato, et denuo nasci justitiæ ; quum enim simus naturaliter in peccato nati, et iræ filii, hâc ratione facti sumus filii Dei.

QUÆSTIO.

Quid ab iis requiritur qui baptizandi sunt ?

RESPONSIO.

Resipiscentia, quâ deserant peccatum ; et fides quâ firmiter credant promissionibus Dei sibi factis in eo Sacramento.

QUÆSTIO.

Quî fit itaque, ut infantes baptizentur, quum ob immaturam ætatem ista præstare non valeant ?

RESPONSIO.

Quia utrumque promittunt per sponsores suos ; quod promissum tenentur ipsi præstare, postquam adoleverint.

QUÆSTIO.

Quamobrem Sacramentum Cœnæ Domini institutum est ?

RESPONSIO.

Ad perpetuam memoriam sacrificii mortis Christi, et beneficiorum, quæ inde percipimus.

QUÆSTIO.

Quænam est pars externa, seu signum Cœnæ Domini ?

RESPONSIO.

Panis et vinum, quæ Dominus jussit accipi.

QUÆSTIO.

Quænam est pars interna, seu res significata?

RESPONSIO.

Corpus et sanguis Christi, quæ verè et reipsâ sumuntur, et percipiuntur à fidelibus in Cœnâ Domini.

QUÆSTIO.

Quænam sunt beneficia quæ inde percipimus?

RESPONSIO.

*Animarum nostrarum corroboratio et recreatio per corpus et sanguinem Christi; quemadmodum pane et vino corpora nostra corroborantur ac recreantur.

QUÆSTIO.

Quid ab iis requiritur qui accedunt ad Cœnam Domini?

RESPONSIO.

Ut probent seipsos, num verè præcedentium peccatorum eos pœniteat, firmum propositum habentes novam vitam instituendi; num fidem vivam habeant in misericordiam Dei per Christum, gratâ memoriâ mortem illius recolentes; num tandem eâ, quâ par est, charitate, omnes homines amplectantur.

ORDO CONFIRMATIONIS;

SEU

IMPOSITIONIS MANUUM SUPER EOS QUI BAPTIZATI AD
ADULTAM ÆTATEM PERVENERUNT.



¶ *Die ad hoc præstituto quotquot tunc confirmandi sunt ordine dispositis, ac stantibus coram Episcopo, vel ipse (vel alius minister ad hoc ab eo constitutus) hanc sequentem præfationem præleget.*

UT Confirmatio cum majori eorum ædificatione, qui confirmandi sunt, administretur, Ecclesiæ visum est statuere, ut nemo in posterum confirmetur, nisi qui in memoriâ teneat Symbolum Apostolicum, orationem Dominicam, et Decalogum, et possit respondere ad alias illas quæstiones, quæ habentur in breviori Catechismo. Quod quidem institutum maximè decet observari, ut pueri jam adulti, edoctique quid susceptores et susceptrices pro ipsis in Baptismo promiserint, illud ipsum ipsi ore et motu proprio coram Ecclesiâ palam ratum habeant ac confirment; atque ut etiam promittant se, adjuvante Dei gratiâ, magis ac magis daturus operam, ut ea fideliter præsentent, quibus assentiri se professi sunt.

¶ *Tum dicet Episcopus,*

NUM hïc coram Deo et hoc Cœtu iteratis solennem illam promissionem quæ facta, et votum quod nuncupatum est vestro nomine in baptismo vestro; ipsi eadem rata habentes ac confirmantes, et agnoscentes vos teneri ea omnia credere et præstare, quæ tunc vestri susceptores et susceptrices pro vobis susceperunt?

¶ *Et unusquisque, ita ut audiri possit, respondebit,*

Maximè.

EPISCOPUS.

ADJUTORIUM nostrum in nomine Domini,

RESPONSIO.

Qui fecit cælum et terram.

EPISCOPUS.

Sit nomen Domini benedictum,

RESPONSIO.

Abhinc et in sæcula sæculorum.

EPISCOPUS.

Domine, exaudi orationes nostras;

RESPONSIO.

Et clamor noster ad te perveniat.

EPISCOPUS.

OREMUS.

OMNIPOTENS et æterne Deus, qui hos famulos tuos Aquâ et Spiritu Sancto regenerare dignatus es, qui que iis concessisti omnium peccatorum suorum remissionem; eos, quæsumus, Domine, Sancto Spiritu Paraclito confirma, et indes gratiæ tuæ dona multiplica; Spiritum sapientiæ et intelligentiæ, Spiritum consilii et spiritualis roboris; Spiritum cognitionis et veræ pietatis in illis adauge; eosque reple Spiritu sancti timoris tui, nunc et in sæcula sæculorum. *Amen.*

~~~~~

¶ *Tunc omnibus ordine in genua provolutis coram Episcopo, uniuscujusque capiti successivè manum imponet, dicens,*

HUNC filium [*aut hunc famulum*] tuum cælesti tuâ gratiâ protege, tuus ut semper maneat, et indes magis magisque Spiritu tuo augeatur, donec ad æternum regnum tuum perveniat. *Amen.*

~~~~~

¶ *Tum dicet Episcopus,*

Dominus vobiscum;

RESPONSIO.

Et cum spiritu tuo.

¶ *Et (singulis in genua provolutis) Episcopus subjunget,*

OREMUS.

PATER noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, sic etiam in terrâ. Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè. Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. *Amen.*

~~~~~

¶ *Et hanc Collectam.*

**O**MNIPOTENS et æternæ Deus, qui das velle et præstare quæ bona sunt, et divinæ Majestati tuæ accepta: Supplices te rogamus pro his famulis tuis, quibus (juxta sanctorum Apostolorum tuorum exemplum) manus nostras imposuimus, ut hoc signo certiores fiant de tuo favore, clementiâ, et bonitate erga ipsos. Maneat semper super eis, quæsumus, paterna manus tua; semper cum illis sit Sanctus Spiritus tuus; et eos ita deducas in cognitionem et obsequium verbi tui, ut tandem vitam æternam consequantur, per Jesum Christum, qui unâ Tecum et cum Spiritu Sancto vivit et regnat, semper unus Deus, in sæcula sæculorum. *Amen.*

**DOMINE** omnipotens et æterne Deus, corda et corpora nostra, quæsumus, dirigere, sanctificare, ac regere digneris in viis legis tuæ, et in operibus mandatorum tuorum; ut potentissimâ tuâ protectione tum corpore, tum animo, hîc et in æternum tuti simus, per Jesum Christum, Dominum, et Servatorem nostrum. *Amen.*

---

¶ *Tum eis benedicet Episcopus, ita dicens,*

**BENEDICTIO** omnipotentis Dei, Patris, Filii, et Spiritûs Sancti, vobis adsit, semperque vobiscum maneat. *Amen.*

---

¶ *Nec quisquam admittetur ad sacram Communionem, donec fuerit confirmatus, aut nisi sit idoneus qui confirmetur, et confirmari cupiat.*





---

---

PRECES QUOTIDIANÆ

IN SCHOLĀ

MERCATORUM SCISSORUM,

*MANÈ, MERIDIÈ, POSTMERIDIÈ, ET VESPERE,*

HABITÆ.

---

---



PRECES MATUTINÆ.

DEUS misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri, ut cognoscamus in terrâ viam suam, in omnibus gentibus salutare suum.

*Confiteantur tibi populi, Deus.*

RESPONSIO.

*Confiteantur tibi populi omnes.*

Lætentur et exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terrâ dirigis.

*Confiteantur tibi populi, Deus.*

RESPONSIO.

*Confiteantur tibi populi omnes.*

Terra dedit fructum suum, et benedicat nobis Deus, et metuant eum omnes fines terræ.

*Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.*

RESPONSIO.

*Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.*

Κύριε Ἐλεήσον.

Χρίστε Ἐλεήσον.

Κύριε Ἐλεήσον.

**P**ATER noster, qui es in cælis ;  
 Sanctificetur nomen tuum :  
 Adveniat regnum tuum :  
 Fiat voluntas tua,  
 Sicut in cælo, sic etiam in terrâ :  
 Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè :  
 Et remitte nobis debita nostra,  
 Sicut et nos remittimus debitoribus nostris :  
 Et ne nos inducas in tentationem :  
 Sed libera nos à malo.

RESPONSIO.

*Amen.*

~~~~~

ÆTERNE Deus, cujus misericordiâ effectum est,
 ut noctis præteritæ spatium feliciter confecerimus, et ad
 hujus diei initium venerimus, apud majestatem tuam
 preces suppliciter effundimus, ut, quemadmodum, dis-
 cussâ noctis caligine, solem mundo reddis, sic, exter-
 minatis mentium nostrarum tenebris, lucem veritatis et
 cognitionis tuæ nobis infundas ; ita ut per totum hunc
 diem in nullum peccatum incidamus, neque ullo verse-
 mur in periculo ; et ut reliquum vitæ nostræ cursum
 in honestis studiis consumamus, quò et tuæ gloriæ
 serviamus, et patriæ debita officia præstemus.

RESPONSIO.

Amen.

OMNIPOTENS et sempiternæ Deus, miserere universæ Ecclesiæ; et sic dirige cor electæ famulæ tuæ, **VICTORIÆ**, Reginæ nostræ, ut cognoscat se esse famulam tuam, et ante omnia studeat gloriæ et honori tuo; et ut omnes ei subditi, agnito, ut par est, acceptum tibi referre imperium, fideliter ei serviant, eam honorent, et obsequantur ipsi cum omni submissione, in Te et propter Te, juxta præceptum tuum, per Christum Dominum nostrum.

RESPONSIO.

Amen.

~~~~~

**ÆTERNE** Deus, sine cujus bonitate nihil piè sanctèque geritur, concede, quæsumus, venerabili **MERCATORUM SCISSORUM SOCIETATI**, hujus Scholæ Patronis dignissimis, ut, quemadmodum Scholam hanc ad nostram ætatem in bonis literis educandam constituerunt, sic ut tibi placeant piè sanctèque vitam instituant, quò, vivi misericordiam tuam, mortui cælestem gloriam tuam, assequantur, per Jesum Christum Dominum nostrum.

RESPONSIO.

*Amen.*

~~~~~

ÆTERNE Deus, ^{*} cujus est potentia, et qui bonorum omnium fons et largitor es; mentibus nostris amorem tui nominis insere; fac in nobis veræ

religionis incrementum ; quæ bona sunt, iis nos insti-
tue, et pro clementiâ tuâ nos in iis custodi, per Jesum
Christum Dominum nostrum.

RESPONSIO.

Amen.

~~~~~

**DOMINE** Pater, cæli ac terræ Effector, qui libera-  
liter tribuis sapientiam omnibus, eam cum fiduciâ abs  
Te petentibus, exorna ingeniorum nostrorum bonita-  
tem, quam cum cæteris naturæ viribus nobis infudisti,  
lumine divinæ gratiæ tuæ ; ut non modò, quæ ad cog-  
noscendum Te, et Servatorem nostrum Dominum  
Christum, valeant, intelligamus ; sed etiam ita mente  
et voluntate persequamur, ut indies, benignitate tuâ,  
tum doctrinâ tum pietate proficiamus, ut qui efficis  
omnia in omnibus, in nobis resplendere dona tua  
facias, ad gloriam sempiternam immortalis Majestatis  
tuæ, per Jesum Christum Dominum nostrum.

RESPONSIO.

*Amen.*

~~~~~

DEO Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, sit omnis
honor, laus, et gloria in sæcula sæculorum.

RESPONSIO.

Amen.

PRECES MERIDIANÆ.

OMNIPOTENS Deus, rerum omnium Parens atque Conservator, qui, ad nos alendos, parentes amicosque nobis tribuisti; concede, quæsumus, bonitatem tuam, ut illi, quò misericordiam tuam consequantur, nos foveant, et quæ tibi placeant tantummodo conemur; quæ facientes amicis parentibusque oblectamento erimus, et tibi serviamus, in quo omnis salus est posita, per Jesum Christum Dominum nostrum.

RESPONSIO.

Amen.

ÆTERNE Deus, cujus natura et proprium est misericordiam, veniamque peccatorum, usque exhibere, humiles nostras supplicationes propitius exaudi; et, licèt nos arcto nexu impeditos teneant peccatorum vincula, singularis tamen tua clementia nos expediat, in honorem Jesu Christi, Mediatoris et Advocati nostri.

RESPONSIO.

Amen.

DOMINI Jesu Christi gratia, et Dei amor, et Sancti Spiritûs communio, nobis adsit omnibus, semperque nobiscum maneat.

RESPONSIO.

Amen.

PRECES POMERIDIANÆ.

OMNIPOTENS Deus, omnium, qui sibi collocant in Te præsidium, propugnator, sine quo nihil est validum, nihil est sanctum, adauge et accumula nobis clementiam tuam, ut, Te duce, Te rectore nostro, per temporaria ita migremus, ut tandem sempiternis non excidamus. His annue, Pater Omnipotens, ob amorem Filii tui unici, Jesu Christi, Servatoris nostri.

RESPONSIO.

Amen.

ÆTERNE Deus, qui semper magis ad preces nostras audiendas, quam nos ad faciendas sis propensus; qui meliora, quam quæ vel petimus vel meremur, in nos conferre soles, clementiæ ubertatem tuæ super nos, quæsumus, effundas; ea, quæ nostra metuit conscientia, nobis remittas; bona etiam largiaris, quæ non sumus digni qui petamus, nisi per merita et mediationem Filii tui, Jesu Christi.

RESPONSIO.

Amen.

DOMINI Jesu Christi gratia, et Dei amor, et Sancti Spiritûs communio, nobis adsit omnibus, semperque nobiscum maneat.

RESPONSIO.

Amen.

PRECES VESPERTINÆ.

OMNIPOTENS Deus, cujus misericordiâ effectum est, ut salvi nos hunc diem transegerimus; concede insuper, sanctissime Pater, ut reliquum nobis vitæ tempus ita transigamus, quò et vigilantes et dormientes tuæ gloriæ serviamus, per Jesum Christum Dominum nostrum.

RESPONSIO.

Amen.

QUÆSUMUS, Domine, Pater omnipotens, tenebras nostras tuo lumine discutias; et, pro singulari tuâ clementiâ, contra omnia hujusce noctis pericula et discrimina nos protegas, ob amorem Filii tui unici, Jesu Christi, Servatoris nostri.

RESPONSIO.

Amen.

DOMINI Jesu Christi gratia, et Dei amor, et Sancti Spiritûs communio, nobis adsit omnibus, semperque nobiscum maneat.

RESPONSIO.

Amen.

PRAYERS FOR SATURDAY.

AT NINE.

ALMIGHTY and most merciful Father; We have erred, and strayed from thy ways like lost sheep. We have followed too much the devices and desires of our own hearts. We have offended against thy holy laws. We have left undone those things which we ought to have done; And we have done those things which we ought not to have done; and there is no health in us. But thou, O Lord, have mercy upon us, miserable offenders. Spare thou them, O God, which confess their faults. Restore thou them that are penitent; According to thy promises declared unto mankind in Christ Jesu our Lord. And grant, O most merciful Father, for his sake; That we may hereafter live a godly, righteous, and sober life, To the glory of thy holy Name. *Amen.*

O GOD, whose nature and property is ever to have mercy and to forgive, receive our humble petitions; and though we be tied and bound with the chain of our sins, yet let the pitifulness of thy great mercy loose us; for the honour of Jesus Christ, our Mediator and Advocate. *Amen.*

OUR Father, which art in heaven, Hallowed be thy Name. Thy kingdom come. Thy will be done in earth, As it is in heaven. Give us this day our daily bread. And forgive us our trespasses, As we forgive them that trespass against us. And lead us not into temptation; But deliver us from evil: For thine is the kingdom, the power, and the glory, For ever and ever. *Amen.*

~~~~~

THE COLLECT FOR THE DAY.

~~~~~

O GOD, who art the Author of peace, and Lover of concord, in knowledge of whom standeth our eternal life, whose service is perfect freedom; defend us thy humble servants in all assaults of our enemies; that we, surely trusting in thy defence, may not fear the power of any adversaries, through the might of Jesus Christ, our Lord. *Amen.*

~~~~~

O LORD, our heavenly Father, almighty and everlasting God, who hast safely brought us to the beginning of this day, defend us in the same with thy mighty power; and grant that this day we fall into no sin, neither run into any kind of danger; but that all our doings may be ordered by thy governance, to do always that is righteous in thy sight, through Jesus Christ, our Lord. *Amen.*

**O** GOD, the Creator and Preserver of all mankind, we humbly beseech thee for all sorts and conditions of men; that thou wouldest be pleased to make thy ways known unto them, thy saving health unto all nations. More especially, we pray for the good estate of the Catholic Church; that it may be so guided and governed by thy good Spirit, that all who profess and call themselves Christians may be led into the way of truth, and hold the faith in unity of spirit, in the bond of peace, and in righteousness of life. Finally, we commend to thy Fatherly goodness, all those who are any ways afflicted, or distressed, in mind, body, or estate; that it may please thee to comfort and relieve them according to their several necessities, giving them patience under their sufferings, and a happy issue out of all their afflictions. And this we beg for Jesus Christ his sake.  
*Amen.*

---

**ALMIGHTY** God, Father of all mercies, we thine unworthy servants do give thee most humble and hearty thanks for all thy goodness and loving kindness to us, and to all men. We bless thee for our creation, preservation, and all the blessings of this life; but, above all, for thine inestimable love in the redemption of the world by our Lord Jesus Christ; for the means of grace, and for the hope of glory.

And, we beseech thee, give us that due sense of all thy mercies, that our hearts may be unfeignedly thankful, and that we shew forth thy praise, not only with our lips, but in our lives; by giving up ourselves to thy service, and by walking before thee in holiness and righteousness all our days; through Jesus Christ, our Lord, to whom with Thee and the Holy Ghost be all honour and glory, world without end. *Amen.*

---

**T**HE grace of our Lord Jesus Christ, and the love of God, and the fellowship of the Holy Ghost, be with us all evermore. *Amen.*

---

---

## AT ONE.

—

ALMIGHTY God, the Fountain of all wisdom, who knowest our necessities before we ask, and our ignorance in asking; we beseech thee to have compassion upon our infirmities; and those things which for our unworthiness we dare not, and for our blindness we cannot ask, vouchsafe to give us, for the worthiness of thy Son, Jesus Christ, our Lord. *Amen.*

~~~~~

THE grace of our Lord Jesus Christ, and the love of God, and the fellowship of the Holy Ghost, be with us all evermore. *Amen.*

PRAYERS FOR THE AFTERNOON.

AT HALF-PAST TWO.

ALMIGHTY and everlasting God, who art always more ready to hear than we to pray, and art wont to give more than either we desire, or deserve; pour down upon us the abundance of thy mercy; forgiving us those things whereof our conscience is afraid, and giving us those good things, which we are not worthy to ask, but through the merits and mediation of Jesus Christ, thy Son, our Lord. *Amen.*

O GOD, the Protector of all that trust in thee, without whom nothing is strong, nothing is holy; increase and multiply upon us thy mercy; that, thou being our ruler and guide, we may so pass through things temporal, that we finally lose not the things eternal: grant this, O heavenly Father, for Jesus Christ's sake, our Lord. *Amen.*

THE grace of our Lord Jesus Christ, and the love of God, and the fellowship of the Holy Ghost, be with us all evermore. *Amen.*

AT HALF-PAST FOUR.

—

LORD of all power and might, who art the Author and Giver of all good things; graft in our hearts the love of thy Name, increase in us true religion, nourish us with all goodness, and of thy great mercy keep us in the same, through Jesus Christ, our Lord. *Amen.*

~~~~~

**L**IGHTEN our darkness, we beseech thee, O Lord; and by thy great mercy defend us from all perils and dangers of this night; for the love of thy only Son, our Saviour, Jesus Christ. *Amen.*

~~~~~

THE grace of our Lord Jesus Christ, and the love of God, and the fellowship of the Holy Ghost, be with us all evermore. *Amen.*



QUÆDAM

EX BUCHANANI ET ALIORUM PSALMIS

SELECTA.



PSALMUS CXXXVIII.

PĚCTÖŘĚ | Tē grā|tō Dōmī|nūmq̄e Dē|ūmq̄e fā|tēbōr

Rēgēs | āntě grā|vēs, || ēt tūā | fāctā cā|nām :

Ād tūā | tēmpl(a) ōcū|līs, ānī|m(o) ād tūā | nūmīnā | spēctāns,

Nōmēn ād | āstrā fě|rām, || pērpētū|āmq̄e fīdēm ;

Qui dō|nīs prō|mīssā nō|vīs cūmū|lāta rē|pēndīs,

Nēc mēn|tī trēpī|dāē || rōbōrā | fīrmā nē|gās.

Tē, q̄uā|cūnq̄e pā|tēt tēl|lūs cīr|cūmflūā | pōntō,

Āgnōs|cēt rē|gēs, || quūm sīnē | lābē fī|dēm

Āudič|rīnt ; rī|tūsq̄e tū|ōs sūpēr | āthērā | tōllēt ;

Āttōnī|tīq̄e tū|ūm || nōmēn īn | ōrbē cā|nēnt.

Nām, līq̄ū|dī quām|vīs trāns | īgněā | mōēnīā | mūndī

Īn Tē | sīs fē|līx, || āttāmēn | hāud hūmī|lēs

Dēspīcīs, | ēlā|tōsq̄e prē|mīs : dīs|crīmīnā | millē

Ūndīq̄e | mē cīn|gānt, || Tē dūcē, | tūtūs ē|rō.

Tū mǎnū|(um) ōbsīs|tēs dēx|trā fūrī|ālībūs | ausīs,

Q̄uāe mē | dētūr|bānt : || īncōlū|mīq̄e dā|bīs

Quod sūpēr|ēst, sī | quīd sūpēr|ēst : bōnī|tātē pēr|ēnnī,

Pēr tōt | sēclā, tū|āē || fāctā tū|ērē mǎ|nūs.

| | |
|-----|---|
| bōr | Ultima cujuscunque versûs syllaba habetur communis. |
| tē | Auctoritate. Fateor 2d Conjugation. |
| fă | Auctoritate. |
| quē | Præter <i>quē, nē, vē.</i> |
| ūm | Quod si consonans. |
| Dē | Vocalis ante alteram. |
| quē | Producuntur monosyllaba in <i>e</i> —præter <i>quē, nē, vē.</i> |
| nūm | Quod si consonans. |
| mī | Auctoritate. |
| Dō | Auctoritate. |
| tō | Sed obliqui casus in <i>o</i> semper producuntur. |
| grā | Derivativa eandem. Grātus from Grātor. |
| tē | Producuntur etiam monosyllaba in <i>e</i> . |
| rē | <i>E</i> finita brevia sunt. |
| tō | Auctoritate. Pectus a noun increasing short. |
| Pēc | Vocalis ante duas consonantes. |

nām | Ultima cujuscunque versûs.

câ | Auctoritate.

tâ | Item omnes casus in *a*.

fâc | Vocalis ante duas consonantes.

â | Item omnes casus in *a*.

tû | Vocalis ante alteram.

ët || Quod si consonans.

vēs | *Es* finita longa sunt.

grâ | Derivativa eandem. Grăvis from Grăvo.

tē | *E* finita brevia sunt.

ân | Vocalis ante duas consonantes.

gēs | *Es* finita longa sunt.

Rē | Quæ à brevibus deducta. Rex, Rēgis à Rēgo.

| | |
|------------|---|
| sp̄c̄ tāns | Vocalis ante duas consonantes. |
| n̄ā | Vocalis ante duas consonantes. |
| m̄ī n̄ā | Item omnes casus in <i>a</i> . |
| n̄ū | Auctoritate. Numen a noun increasing short. |
| n̄ū | Derivativa eandem. Nūmen from nuo, nūtum. |
| a | Item omnes casus in <i>a</i> . |
| tū | Vocalis ante alteram. |
| ād | Quod si consonans. |
| m̄ | The letter <i>o</i> is cut off by Synalæpha. |
| n̄ī | Auctoritate. |
| a | Auctoritate. |
| lis | Excipe obliquos casus plurales in <i>is</i> . |
| cū | Auctoritate. |
| o | Auctoritate. |
| pl̄ | The letter <i>a</i> is cut off by Synalæpha. |
| tēm | Vocalis ante duas consonantes. |
| a | Item omnes casus in <i>a</i> . |
| tū | Vocalis ante alteram. |
| Ad | Quod si consonans. |

| | |
|-----|--|
| dēm | Ultima cujuscunque versûs. |
| fĩ | Quæ à longis deducta primam corripunt: ut fĩdes à fĩo. |
| quē | Præter <i>quē, nē, vē.</i> |
| ām | Quod si consonans. |
| tũ | Vocalis ante alteram. |
| pē | Auctoritate. |
| pēr | Vocalis ante duas consonantes. |
| rām | Quod si consonans. |
| fē | Auctoritate. |
| trā | Item omnes casus in <i>a.</i> |
| ās | Vocalis ante duas consonantes. |
| ād | In <i>b, d, t,</i> desinentia brevia sunt. |
| mēn | Nomina item in <i>en.</i> |
| Nō | Derivativa eandem. Nōmen from supine nōtum. |

| | |
|------|---|
| dīs. | Ultima cujuscunque versûs. |
| pēn | Vocalis ante duas consonantes. |
| rē | Auctoritate. |
| tā | Item omnes casus in <i>a</i> . |
| lā | Auctoritate. |
| mū | Derivativa eandem. |
| cū | Derivativa eandem. Cūmūlo from Cūmūlus. |
| vis | Excipe obliquos casus plurales in <i>is</i> . |
| nō | Auctoritate. |
| sā | Item omnes casus in <i>a</i> . |
| mis | Vocalis ante duas consonantes. |
| prō | Composita simplicium. Ex prō et mitto. |
| nis | Excipe obliquos casus plurales in <i>is</i> . |
| dō | Derivativa eandem. Dōnum from do. |
| Quī | <i>I</i> finita longa sunt. |

| | |
|------|---|
| gās. | <i>As</i> finita producuntur. |
| nē | Auctoritate. |
| mā | Item omnes casus in <i>a</i> . |
| fīr | Vocalis ante duas consonantes. |
| rā | Item omnes casus in <i>a</i> . |
| bō | Auctoritate. Robur a noun increasing short. |
| rō | Auctoritate. |
| dāē | Omnis diphthongus. |
| pī | Auctoritate. |
| trē | Derivativa eandem. Trēpidus from trēpeo. |
| tī | <i>I</i> finita longa sunt. |
| mēn | Vocalis ante duas consonantes. |
| Nēc | Quod si consonans. |

| | |
|-----|--|
| tō. | Sed obliqui casus in <i>o</i> semper producuntur. |
| pōn | Vocalis ante duas consonantes. |
| ā | Item omnes casus in <i>a</i> . |
| flū | Vocalis ante alteram. |
| cūm | Vocalis ante duas consonantes. |
| cir | Vocalis ante duas consonantes. |
| lūs | Excipiuntur producenti penultimam genitivi crescentis. |
| tēl | Vocalis ante duas consonantes. |
| tēt | Quod si consonans. |
| pā | Auctoritate. |
| quē | Præter <i>quē, nē, vē.</i> |
| cūn | Vocalis ante duas consonantes. |
| quā | Auctoritate. |
| Tē | Producuntur etiam monosyllaba in <i>e</i> . |

| | |
|------|--|
| dēm. | Ultima cujuscunque versûs. |
| fī | Quæ a longis deducta. Fīdes a Fīo. |
| bē | <i>E</i> finita brevia sunt. |
| lā | Quæ à brevibus deducta. Lābes à lābo. |
| nē | <i>E</i> finita brevia sunt. |
| si | Auctoritate. |
| quūm | Quod si consonans. |
| gēs | <i>Es</i> finita longa sunt. |
| Rē | Quæ à brevibus deducta. Rex, Rēgis à Rēgo. |
| cēt | Vocalis ante duas consonantes. |
| nōs | Vocalis ante duas consonantes. |
| Āg | Vocalis ante duas consonantes. |

| | |
|------|--|
| lēt. | Vocalis ante duas consonantes. |
| tōl | Vocalis ante duas consonantes. |
| rā | Item omnes casus in <i>a</i> . |
| thē | Auctoritate. Æther a noun increasing short. |
| æ | Omnis diphthongus. |
| pēr | <i>R</i> finita corripuntur. |
| sū | Auctoritate. |
| ōs | <i>Os</i> finita producuntur. |
| tū | Vocalis ante alteram. |
| quē | Præter <i>quē, nē, vē</i> . |
| tūs | Longæ sunt etiam omnes voces quartæ inflexionis in <i>us</i> . |
| rī | Auctoritate. |
| rīnt | Vocalis ante duas consonantes. |
| e | Auctoritate. |
| dī | Vocalis ante alteram. |
| Āu | Omnis diphthongus. |

| | |
|-------|---|
| ñent. | Vocalis ante duas consonantes. |
| ca | Auctoritate. |
| bè | <i>E</i> finita brevia sunt. |
| ör | Vocalis ante duas consonantes. |
| in | <i>N</i> finita producuntur, excipe <i>forsän, forsitän, &c.</i> et <i>in</i> . |
| mèn | Nomina item in <i>en</i> . |
| nō | Derivativa eandem. Nōmen from supine nōtum. |
| üm | Quod si consonans. |
| tù | Vocalis ante alteram. |
| què | Præter <i>quë, në, vë</i> . |
| tī | <i>I</i> finita longa sunt. |
| nī | Derivativa eandem. Attono, attonitum. |
| tō | Composita simplicium. From ad and tōno. |
| At | Vocalis ante duas consonantes. |

PSALMUS XV.

QUIS tua templa, Deus, tua quis tentoria, dignus
Incolet, et montis stabit in arce tui ?
Integer, et vitæ maculis non oblitus ullis,
Qui nec iniqua facit, nec nisi vera refert ;
Qui non alterius famam detractat honestam,
Nec mala de socio cogitat ulla suo.
Opprobrium qui vicino non ingerit, et qui
Negligit assuetos improba facta sequi.
Qui colit obsequio Domini præcepta colentes,
Qui sua non patitur fallere damna fidem.
Qui super usurâ sortem non auxit iniquâ,
Qui super insontem munera nulla capit.
Quisquis ad hæc animum facienda induxerit, ille
Purus, et æterno tempore salvus, erit.

PSALMUS XVIII.

TU clypeus, tu tela, Deus, tu certa salutis
Anchora, tu turris, tu mihi portus eris :
Te precibus votisque colam, cui debita laus est ;
Hostis ab insidiis sic ego tutus ero.

Fluctibus e mediis, et lethi faucibus atris,
Ad Dominum supplex vota Deumque tuli.
Ille preces humiles superâ suscepit ab aulâ,
Et facili planctum supplicis aure bibit.
Mota fuit tellus; nutârunt vertice montes;
Imaque cum summis plena tremoris erant.
Naribus efflavit nebulas Deus excitus irâ,
Et fumi undantes volvit ab ore faces.
Æthere depresso, solio descendit ab alto;
Et piceâ condunt nubila veste pedes.
Ventorum volucres humeris circumdedit alas;
Pressit et angelici flammea terga chori.
Ore Deus sacro tonuit; mox, grandine mixtâ,
Fulmina cælesti desiliere domo.
Vivat honos, nomenque Dei, qui robore mentem
Firmat, et æternum vivere posse dedit.
Tu, Deus, es vindex; humilem tu tollis in altum;
Impia tu populos ponere tela jubes.
Ergo tuos titulos nunc audiet ultima tellus,
Et mihi perpetuum laus tua carmen erit.

PSALMUS XXIII.

BLANDUS ut upilio, me pascit conditor orbis;
Ne mihi quid desit, providus ille cavet.
Dat Deus, ut recubem pratorum in gramine molli;
Ducit et ad rivos lenè sonantis aquæ:

- Cor recreat, rectique viam mihi monstrat et æqui ;
 Nominis ut laudes lætus in astra feram.
- Non ego degeneri quaterer formidine, lethi
 Ante oculos quamvis vallis opaca foret.
- Tu, Deus, es præsto, baculo vestigia firmans,
 Ne titubem ; vires restituisque meas.
- Hoste palam tu das plenis accumbere mensis,
 Et mihi regales porrigis ipse dapes.
- Tu caput irroras succo felicis olivæ,
 Sufficis et largâ pocula plena manu.
- Me tua defendet bonitas, dum lumine vescar,
 Per salebras gressus diriget illa meos :
- Inque tuis adytis, rerum pater alme, morabor,
 Quà nova perpetuò gaudia lætus agam.

 PSALMUS XLII.

QUALIS cerva sitim gelido restinguere rivo
 Optat, anhelanti dum tremit ore fugax ;
 Haud secus æternos, Deus alme, exquirere fontes,
 Implacanda tuæ me sitis urget aquæ.

O ego te quandò aspiciam ! quandoque licebit
 Visere cælestes, regna beata, domos !

Esca mihi lacrymæ sunt nocte, dieque, cadentes ;
 Dum rogat hostis, Ubi est jam Deus ille tuus ?

Hæc ego dum mecum repûto, mea corda liquescunt,
 Inque sinus tepidæ decidit imber aquæ.

Namque olim poteram templo consistere, festos
Et celebrare, choro concomitante, dies.
Dirigat alma meos, genitor, tua dextera gressus,
Ut redeam ad montem, dulcia templa, tuum.
Sic stabo ante tuas, queis nil mihi charius, aras,
Vocalis tangens consona fila lyræ.
Cur mea, te crucias, anima, et nimis anxia vexas?
Sollicito quianam victa dolore jaces?
Pone metum, inque Deo tua sit fiducia fixa;
Sorte tibi cedit mox meliore dies.

PSALMUS LXII.

MENTE Deum tacitâ veneror; spes omnis in illo est;
Ille salutiferam fert mihi promptus opem.
Arx Deus est, clypeusque mihi, portusque salutis
Unicus; incutient nulla pericla metum.
Ecquis erit tandem scelerum modus? ecqua malorum
Meta, quibus nimium nocte dieque premor?
Deturbare gradu dum me parat æmulus, astu
Rem gerit, ore refert verbaque ficta suo.
Sed tu, mens, Dominum inter tales aspice curas;
Spes ope cælesti sustinet ille meas.
Arx Deus est, clypeusque mihi, portusque salutis
Unicus; incutient nulla pericla metum.

PSALMUS LXVII.

MITIS ades, cœptisque fave ; mentisque tenebras,
Alme parens, vultûs discute luce tui.
Nos tua securos duc per vestigia ; tutum
Omnibus et populis pande salutis iter.
Te plebs, te proceres, sexus te prædicet omnis,
Et puer impubes, invalidusque senex.
Dicat Io populus : justus tu jura gubernas ;
Paret et imperio terra fretumque tuo.
Te plebs, te proceres, sexus te prædicet omnis,
Et puer impubes, invalidusque senex.
Auspice te, felix omnis dabit omnia tellus ;
Audiet et domini vota benignus ager.
Nos, Deus, adspicies placidus ; tremet ultimus orbis ;
Omnibus et populis tu venerandus eris.

PSALMUS LXXII.

DA regi tua jura, Deus ; da, natus ut olim
Regius hæc possit, te præeunte, sequi.
Ille tuo populo leges feret, arbiter æquus ;
Imperio tenues proteget ille suo.
Montibus ex ipsis, palmâ redimita capillos,
Pax aderit, populis et pia jura dabit.

Ille patrocínio legum defendet egenos,
Hostis et infensi colla proterva premet.
Omnia te metuent illo sub principe sæcla,
Orbita dum lunæ, solis et axis erit.
Ver dabit hic terris ; sic, misso desuper imbreg,
Prata simul rident, et modò tonsus ager.
Candida tum probitas florebit, et optima rerum
Pax ; vario donec lumine luna nitet.
Fortibus hic armis teget et defendet egenos,
Et populum, cui spes nulla refulget opis.
Et parcat miseris, tenues ac muniet : enses
Franget et hostiles, discutietque dolos.
Carus erit justí sanguis ; feliciter ergo
Ducet et optatos, et sine fine, dies.

PSALMUS LXXXVI.

TENDE meis aurem, cæli rex optime, votis ;
Advolvor genibus pauper inopsque tuis.
Protege nunc vitam famuli, non digna ferentis ;
A te, quam posco, spes mihi pendet opis.
Fer, Deus, auxilium, semperque salutifer adsis :
Te Dominum supplex nocte dieque voco.
Te precor, exaudi gemitus et vota precantis ;
Ne pereat pelagi spes mea mersa vadis.
Cum premar adversis, Te poscam supplice voto ;
Aure, Deus, facili Tu mea verba leges.

Par tibi nemo Deûm est ; nec sunt miracula, Divi
 Quæ reliqui jactant, æquiparanda tuis.
 Te, Deus, auctorem rerum canet ultimus orbis,
 Seque sui sternet principis ante pedes.
 Majestas immensa tibi est ; miracula sensum
 Exsuperant : solus tu, Deus, astra regis.
 Tu mihi pande viam ; tu gressus dirige ; firma
 Pectus, ut intrepidus, te duce, recta sequar.
 Sic ego te toto celebrabo pectore ; carmen
 Et mihi perpetuum tu, Deus, unus eris.
 Fine carens, bonitas tua me defendit ; opaco
 Me tuus ex lethi carcere traxit amor.

PSALMUS LXXXVIII.

LUCE voco te, nocte voco te, sola salutis
 Spes, columen, vitæ præsidiumque meæ.
 Alme parens, facilem ne vultum averte precanti,
 Neve humiles durâ respue mente preces.
 Mens hebetata malis torpet ; confecta dolore,
 Funereas spectat languida vita faces.
 Membra vigor liquit ; mors unguibus imminet atris ;
 De tumulo tantum jam mihi cura meo est.
 Affixusque toro jaceo, ceu compede vinctus ;
 Languida cesserunt lumina victa malis.

Interea lassas tendens ad sidera palmas,
Te, veniente die, Te, fugiente voco.
An tua sub tumuli bonitas cantabitur antro?
Vulgabuntve tuam muta sepulchra fidem?
Justitiamne tuam taciturna silentia pandent?
An referent vires nox, tenebræque tuas?
Ast ego, sancte Parens, supplex tua numina clamo;
Nec precibus vacua est hora, locusve, meis.

PSALMUS CVII.

REDDE Deo grates, bonitas cui passibus æquis
It comes, et nullo limite septus amor.
Adspice captivos lethi caligine mersos,
Cura quibus torquet pectora, vincla pedes.
Hi prius ætherei monitus risere parentis,
Jussaque supremi consiliumque patris.
Hinc Deus hos sontes curis oppressit amaris,
Nec passim, auxilio qui foret, ullus erat.
At simul ad Dominum clamant in rebus egenis;
Non mora, de mediis eruit ille malis.
O, precor, illius celebret miracula tellus,
Et largam miseris munificamque manum!
Qui maris inflexis sulcant vada salsa carinis
Solliciti, et vastas ingrediuntur aquas;
Illi opera in medio spectant divina profundo,
Factaque in immenso prodigiosa mari.

Jusserit, exsiliunt venti, tumida æquora surgunt,
 Mota procellæsis fluctibus unda fremet.
 Et nunc in cælum tolluntur, ad infima rursum
 Tartara, mox animo deficiente, labant.
 At simul ad Dominum clamant in rebus egenis ;
 Non mora, de mediis eruit ille malis.
 Sternit aquas frænatque notos : portumque petitem
 Illius auspiciis læta carina subit.
 O, precor, illius celebret miracula tellus,
 Et largam miseris munificamque manum !
 Coetibus in sacris vox illum prædicet omnis ;
 Atque Dei referant fortia facta senes.

PSALMUS CXXIII.

ALME Parens, in te defigo lumina, cæli
 Qui procul à nobis dissita tecta colis.
 Sedulus ut famulus gestus observat heriles,
 Et nutus dominæ fida ministra suæ ;
 Sic, Deus, intentis oculis te specto, salutem
 Dum populo cæli lenis ab arce feras.
 Adfer opem miseris, tot qui fastidia passi,
 Fabula jam vulgi ludibriumque sumus.
 Otia dum ducit, sannis nos excipit hostis ;
 Calcat et audaci turba proterva pede.

PSALMUS CXXXVI.

EN, Dominum laudate, Deum facilemque bonumque ;
Cui bonitas nobis non ullo limite clausa est.
Nunc Dominum laudate ; Deus namque ille deorum est.
Qui facit attonito solus miracula mundo ;
Qui liquidis terras emergere jussit ab undis ;
Qui solem auricomum jussit dare jura diei,
Et lunam, et stellas tenebras distinguere noctis.
Qui rubri Oceani torpentes diffidit undas,
Perque undas fissas sobolem traduxit Abrami ;
Pharonem, et Pharios submersit gurgite currus,
Deduxitque suos deserta per avia tutos,
Et validos meritâ prostravit clade tyrannos.
Isacidis habitare suis dedit hostica rura.
Qui nos in rebus miseros respexit egenis,
Avertitque ferum nostris cervicibus hostem :
Qui genti humanæ vitam victumque ministrat ;
Cui bonitas nobis non ullo limite clausa est.

PSALMUS CXXXVII.

DUM procul a patriâ mœsti Babylonis in oris,
Fluminis ad liquidas fortè sedemus aquas ;

En ! animum subiit species miseranda Sionis,
 Et nunquam patrii tecta videnda soli.
 Flevimus, et gemitus luctantia verba repressit,
 Inque sinus liquidæ decidit imber aquæ.
 Muta super virides pendebant barbata ramos,
 Et salices tacitas sustinuere lyras.
 Ecce, ferox dominus, Solymæ populator opimæ,
 Exigit in mediis carmina læta malis :
 Qui patriam exsilio nobis mutavit acerbo,
 Nos jubet ad patrios verba referre modos ;
 Quale canebamus, steterat dum celsa Sionis
 Regia, finitimis invidiosa locis.
 Siccine divinos Babylon irrideat hymnos ?
 Audiat et sanctos terra profana modos ?
 O Solymæ, o adyta, et sacri penetralia templi,
 Ullane vos animo deletat hora meo ?
 Comprecor, ante meæ capiant me oblivia dextræ,
 Nec memor argutæ sit mea dextra lyræ ;
 Os mihi destituat vox, arescente palato,
 Hæreat ad fauces aspera lingua meas ;
 Prima mihi vestræ nisi sint præconia laudis ;
 Hinc nisi lætitiæ surgat origo meæ.
 At Tu, quæ nostræ insultavit læta rapinæ,
 Gentis Idumææ Tu memor esto, Pater.
 Diripite, ex imis evertite fundamentis,
 Æquaque, clamabant, reddite tecta solo.
 Tu quoque crudeles, Babylon, dabis impia pœnas,
 Et rerum instabiles experiere vices.

Felix, qui nostris accedet cladibus ultor,
Reddet ad exemplum qui tibi damna tuum.
Felix, qui tenero consperget saxa cerebro,
Eripiens gremio pignora cara tuo.

PSALMUS CL.

FER super astra Deum, Solymæ qui protegit aras ;
Aurea pollenti qui regit astra manu.
Fer super astra Deum, qui pollet robore dextræ,
Et majestatis pandit ubique jubar.
Fer super astra Deum lituis, buxoque sonoro :
Nec desint gratæ fila canora lyræ.
Fer super astra Deum : pulsa cava tympana palmis ;
Sit citharæ et fidibus tibia blanda comes.
Fer super astra Deum : jungantur cymbala plectris ;
Dulcibus et resonent terra polusque modis.
Fer super astra Deum, quisquis vitalibus auris
Vesceris : et Domino laus sit, et omnis honos.

FINIS.










Deacidified using the Bookkeeper process.
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: March 2006

PreservationTechnologies
A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATION

111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111



LIBRARY OF CONGRESS



0 014 237 978 8

